

tum vero homo acceptavit, tamquam præceptum Patris, ex obedientia. Voluit autem ex obedientia pati et mori. Primo, ut *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obediendum justis constituentur multi*, ad Rom. V. Secundo, ut acceptissimum Deo offerret sacrificium: *Melior est enim obedientia quam victima*, I. Reg. XV. Denique, ut omnibus hominibus obedientiæ exemplum præberet. Sed heu quanto constitit illi hæc obedientia! Optime id expressum est, Gen. XXXVII. in figura Josephi, cui dicebat pater: *Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni mittam te ad eos*. Quo respondente: *Præsto sum*, ait ei: *Vade et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos et pecora, et renuntia mihi quid agatur*. Sed quid actum? Eo viso colloquebantur fratres: *Ecce somniator venit! Venite occidamus eum, etc. Confestim igitur, ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunicam talari et polymita miseruntque eum in cisternam veterem*. Mystice secundum Ambrosium, Augustinum et alios: Missus est Christus ad eos, qui dorsum Christo ostenderunt; (nam Sichem, dorsum exponitur) illi vero exuerunt eum tunica, non illa solum inconsutili, sed etiam tunica carnis suæ, et miserunt eum in lacum, id est, mortem et sepulcrum. Præsciebat hoc totum Christus: (Joseph autem nesciebat quid in se molituri essent fratres) nihilominus imperio Patris, quo ad nos ablegatus erat, promptissime obedivit.

Deinde zelus honoris paterni; unde ipse Patri dixit: *Zelus domus tuæ comedit me*, q. d. tamquam ignis vehemens corripuit et consumpsit me, Joan. II. Cum enim infinito amore prosequeretur Filius Dei Patrem: quomodo tam graviter læsam divinam majestatem æquis intueri oculis poterat?

Voluit igitur paternam illam injuriam ex rigore justitiæ compensare adeoque abolere. Sed qua ratione? Suapte morte et sanguine. Sed cur non potius ultionem sumpsit de reis ad instar Eliæ, qui zelo honoris divini occidit quinquaginta prophetas? Respondetur primo, licet totum humanum genus extinxisset et infernum detruisset, non fecisset æqualem injuriæ infinitæ compensationem. Deinde obstitit alter zelus animarum lucrandarum, quas perdere nolebat. Pugnabant in corde Filii duo isti zeli, honoris paterni tuendi, et salutis humanæ procurandæ; idcirco sicut mater videns filium stricto ense invadi ab offenso patre, mediam se interponit, quia in ea certat mariti et filii amor; ita et Dei Filius, cum patris sui honorem summe imprimis amaret, homines item servare cuperet, urgente utrinque amore, medium se constituit inter iram

Patris et homines, dum et læsæ divinæ majestati per semetipsum facere satis et genus humanum servare voluit. Unde in cruce arbitror mori sublimem voluisse, ut intelligeremus ipsum inter cælum et terram, Deum et hominem mediatorem esse, qui alas suæ per nos extendens protegere nos a fulminibus Patris velit, eaque in se suscipere. Quantum uteretur Christus hoc utroque zelo, ostendit ipse in suscitatione Lazari, Joan. XI. ubi primo *infrenuit spiritu et turbavit semetipsum*, ad ostendendum zelum honoris divini, deinde lacrymatus es, ad ostendendum amorem erga peccatores, quorum typus erat Lazarus.

Amor denique et misericordia erga homines. Nisi enim hic fuisset, supplicium illis debitum in se non suscepisset, sed processum suum justitiæ divinæ in reos permisisset. Nihil autem in homine erat, quo meretur tantum beneficium, vel unde Filio Dei aliquid emolumentum posset accedere. Merus et gratuitus amor fuit, qui persuasit illi, ut pro debitoribus, qui solvendo non erant, vadem se offerret. Unde tamquam a fidejussore exegit Deus debitum. Alterutrum sane faciendum erat, ut justitiæ divinæ satisfaceret, aut ut peccatores æterna morte plecterentur, aut ut Dei Filius rigori justitiæ satisfaceret. Quid faceret hic Dei Filius? Peccatores infiniti erant: pœna illis decreta æterna et horrenda erat. Contra si ipse pro iis pœnam subiret, homines per ipsum exaltandi et salvandi erant. Vicit igitur amor: *Et vidit Dei Filius requiem cæli quod esset bona, et terram quod esset optima, et suppositum humerum suum ad portandum (crucem) et factus est tributis serviens*, Gen. XLIX. Quæ res aliquatenus saltem adumbrari exemplo potest. Scribunt historici gentiles Agrippinam Domitii Neronis matrem, dum ambitiose nimis imperium illi astrueret, Chaldæos sciscitatam an imperaturus esset filius, imperaturum audisse, verum ita, ut matrem interficeret. Tristi hoc responso nihilo flexa mulier: *Occidat me*, inquit, *modo imperator fiat*. Ad hunc vere modum Dei Filius tanto desiderio cupiebat eruere nos e potestate tenebrarum, atque a morte æterna transferre in læcem et cœlestem beatitudinem, ut tametsi norat aliter id fieri convenienter non posse, nisi ipse innumeris se injuriis, irrisionibus, verberibus et morti exponeret, hæc omnia perferre non dubitavit. Quis autem spiritus non deficit hic in tantarum rerum consideratione: Deum velle vendi ut servi ejus improbi redimantur? Deum velle ligari, ut servi incolumes sint et vivant?

Sed nonne vita Filii Dei dignior et præstantior

erat, quam salutis totius generis humani? Ad quid ergo pretiosius pro viliori dedit? Respondet, Christum non tam attendisse ad mortem suam, quam ad perpetuam hominum damnationem. Licet ergo vita ejus præstaret toti humano generi, sciebat tamen Dominus mortem suam et passionem brevi duraturam, hominum vero damnationem fore æternam; unde passio ejus *torrens* vocatur in ss. II. infernus autem *aquæ intolerabiles* seu *sine fundo*, ut vertunt Septuaginta in Psalm. CXXIII. Quod si David mori optabat pro filio suo Absalone, morte temporali, quia nimirum satis patebat, filium mortuum esse non tantum corporaliter sed et spiritualiter, adeoque in æternum damnatum, facile intelligimus voluisse etiam Christum mortem subire temporaneam, ne æternum nos moremur.

VII. Tertia, eaque primaria et ultima causa, in qua cæteræ omnes fundantur, sunt peccata nostra. Hæc enim nisi fuissent, neque Dei Filius morti se obtulisset, neque Deus Pater mortem Filio decrevisset, neque Judas tradere, neque Judæi ei nocere, neque Pilatus eum condemnare potuissent. Quis enim tantæ potentiae fuit unquam ut posset Filium Dei Altissimi supplicio et morti subicere? Quid potuisset Judas? Quid Judæi? Quid Pilatus? Quid Rom. imperator? Annon sæpius ostendit Christus, quid posset, si moliri aliquid vellet, contra homines? Quid justitiæ divina, quid potestas tenebrarum, quæ nihil in eo pœna aut morte dignum invenerunt? Nullæ spinæ quantumvis acutæ, nulli clavi quantumvis duri, nulla flagella quantumvis aculeata vulnerare aut penetrare potuissent carnem illam, nisi peccata nostra fuissent. Hæc illum vendiderunt, ligarunt, captivarunt, conspuerunt, verberarunt, crucifixerunt. Necdum intelligis qua ratione? Pone filium aliquem optimorum et honestissimorum parentum contumacem et rebellem eo malorum abire, ut furti reus a lictoribus deprehendatur et capiatur, brevi suspendendus. Quid agant optimi parentes? Filium suspendi patiantur et videant? At quam hoc grave vulnus cordibus illorum infliget? Filium ergo redimant? Sed pecunia ingens petitur, et tantæ non suppetunt opes, nisi omnibus venditis ad extremam redigi pauperiem velint. Quam durum est hoc telum? Quis hic non lamentabundus dicet filio illi: *Heu te hominem perditum, in quantam calamitatem conjecisti parentes tuos? Eligitur itaque paupertas et filius redimitur*. Quis hanc calamitatem fecit; filiusne an parentes? Annon filii improbitas? Eadem prorsus ratio cum peccatis nostris. Ipsa enim sunt, quæ Dei Filium ad extremam redegere

pauperiem et calamitates illas omnes quas perpessus est: alioqui expectabat nos patibulum tartareum, æternum.

Quando igitur invenimus reum tam immanis sceleris, primo, commiseremur Christo qui pro alieno debito tam indigne periit; deinde cogitemus quantopere indignari peccatis, imo nobis ipsis debeamus. Recolite memoria, quid dixerit olim David, cum audiit a Nathan, divitem quemdam abstulisse pauperi oviculam, quam habebat unicam in sinu suo requiescentem, etc. quid enim dixit: *Vivit Dominus, quia filius mortis est, qui fecit rem hanc*: sed postea a Nathan audiit: *Tu es ille vir, etc.* Quid quaeso abstulit Deo Patri unicam ejus Filium et quis occidit? *Tu es ille vir*. Qui est qui innocentem sanguinem fudit? *Tu es ille vir*. Quare si nunc omnis generis mala, cruces et tribulationes in caput tuum veniant, digna factis recipis. Et mirum profecto est, si non omnes creaturæ pariter in te consurgunt et jaculantur lapides (quemadmodum Davidi exulanti fecit ille Semei) unaque tibi occinunt: *Egredere, egredere vir sanguinum et vir Belial: et ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es*, II. Reg. XVI. Verum quia peccatum, ut vidimus, est, quod hanc noxam proprie dedit et peccatorem dementavit, irascamur ad extremum omnes et singuli peccatis, eaque detestemur cane pejus et angue. Dicamus eis cum patriarcha Jacob: *O te feram pessimam, peccatum, quæ devorasti Filium Dei! O te bestiam agri, o belluam immanem, quæ comediti eum! Devorent te corvi de torrentibus, comedant te filii aquilæ. Pereat dies, in qua ortum es, et nox in qua conceptum es. Dies ille vertatur in tenebras: non requirat eum desuper et non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ et umbra mortis, occupet eum caligo et involvatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, etc.*

CONCIO IV.

DE CIRCUMSTANTIIS PASSIONIS DOMINICÆ.

- I. Quis patitur: 1. Deus. 2. Innocens et justus. 3. Summus benefactor. — II. Pro quibus: 1. Pro vermiculis terræ. 2. Pro perditis. 3. Pro inimicis. — III. Quare patitur: 1. Ob meram bonitatem suam. 2. Ob misericordiam. 3. Ob charitatem suam.

THEMA.

O vos omnes, qui transitis per viam attendite et videte. Threnorum I.

Horrendum et inauditum facinus hodie per-

petravit mundus, quando Filium Dei extremo affectu supplicio, ejus spectaculi imaginem proponit nobis hodie Ecclesia, crucem scilicet: videtur enim de hac cruce alloqui nos Christus: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte. Videte, inquam, quis ego crucifixus, pro quibus crucifixus, quare; quid passus, a quibus et quomodo. Nam imprimis spectaculum hoc non vulgare est, sed mirum et inusitatum. Deinde nobis omnibus cognitu necessarium est; siquidem sine ipsius cognitione consequi salutem impossibile. Propterea morituris crucifixi simulacrum datur in manus, ut ea veluti clave cœlum sibi aperiant. Denique utilissimum est, ut si vel solum recte intelligatur, sufficere imo facere hominem sapientem possit. Hinc enim sapientissimus ille apostolus qui I. Cor. II. ait: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum*, sapientiam suam acquisivit. Et in vita S. Margaretae regis Hungarorum filia scribit Surius, 28 junii, quod quartum ætatis annum agens et crucifixi imaginem videns seiscitaretur ex sororibus quidnam esset illud? Quibus respondentibus signum esse crucis in qua Deus, Dei Filius nostræ salutis causa suum fudisset pretiosum sanguinem, hoc audito, mox crucem amplexari et osculari cœperit, et coram illa se prosternens, alta voce dixerit: *Domine, me tibi committo*: et exinde ubicumque crucem vidisset, æte eam se prosterneret, eamque adoraret. Quoniam igitur tam mirabilis, tam necessaria et salutaris est crucifixi contemplatio, propterea tot modis, tot ubique locis, totque anni temporibus, præsertim vero isto proponit nobis Ecclesia spectandum crucifixi simulacrum. Velim igitur omnes vos auditores, e domibus vestris exeatis, omnique alia cogitatione seposita hic velut ad Calvaria montem per contemplationem ascendatis, et ad crucifixum intendatis oculis mentis potius quam corporis.*

I. Quis patitur? Primo Deus qui natura sua ab omni passione est absolutissimus et liberri- mus, quidque fortiorem aut majorem non habet, a quo pati posset, nisi sponte se subjecisset. Quod si regem diceremus talia passum esse, an non satis superque id esset, ut merito horrere et indignari deberemus? Sed nunc demus esse regem tantum. Libro secundo Regum, c. I. venit Amalecites quidam ad Davidem afferens ei diadema Saulis, aitque se illum, quia morti vicinus esset et interfici omnino a se petisset, occidisse (tametsi id confinxerat: suoque enim gladio incumbens Saul perierat, quod audiens David præ indignatione scidit vestimenta sua omnes-

que viri qui erant cum eo et ait: *Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideres Christum Domini?* Moxque jussit occidi illum. Quid dixisset vel fecisset David, si audivisset Dei Filium, qui solus vere Christus Domini, imo ipse Dominus erat, a quoquam occidi? Saul hostis illi infensissimus erat et ut dicebatur, morti proximus: nihilominus eum interimere indignissimum putavit. Hinc jam ratiocinemur, quid sit occidere Filium Dei. De filio Cæsi regis muto scribunt Herodotus et Gellius, quod cum is vidisset militem quemdam contra patrem stringere gladium, repente ex muto vocalis factus exclamarit: *O homo, ne occidas regem*. Tantum potuit horror tam indigni aspectus! Sed quia infinitus gravior est perimere Dei Filium, ideo majori multo miraculo sceleris hujus indignitatem muta simul elementa contestata sunt: sicut verissime prædixit Judæis Dominus post ingressum in Jerusalem super asinam Luc. XIX. *Quia si hi tacuerint, lapides clamabunt*. Quid enim putatis sibi terra voluit, quando contremuit et monumenta reseravit? Quid velum templi, cum ultro scissum? Quid petrae, quando scissæ? Quid sol cum suos retraxit radios? Nisi quod una voce clamaverunt quodammodo: *O homo, ne occidas Deum*. Intellexit hanc vocem centurio, cum repente mutatus exclamavit: *Vere Filius Dei erat iste*; intellexit omnis turba quæ aderat ad spectaculum istud, et videbat quæ fiebant, dum percutientes pectora sua revertentur, ut inquit Lucas, c. XXIII. Nimirum turba illa licet spectatrix tantum, peccato sibi ducebat, etiam adesse tam indigno et horrendo sceleri, quo Filius Dei occidebatur. Ob id enim optat etiam patriarcha Jacob, longe esse ab hoc Judæorum facinore, cum dixit Gen. XLIX. *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea et in cœtu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum*. Ubi secundum Ambrosium, Rupertum et alios, intelligit Scribas et Phariseos, qui de tribu Levi prognati et primarii fuere, qui consilium dederunt ad Christum interficiendum.

Secundo. Innocens et justus, qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore ejus, ait Isaias, cap. LIII. *Habuit certe innocentia semper hoc privilegium, ut ab injuriis vindicaretur et si humanum esset auxilium, mirabiliter defendere- tur*. Hinc enim Eliphaz ille Job. IV. ait: *Recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit aut quando recti deleti sunt?*

Atque ut judices interdum in condemnando innocente errarint, non defuerunt tamen alii, qui eorum innocentiam contestati sunt, et ab injuria vindicarunt. An nescimus Susannæ, cum

inique condemnata ad mortem traheretur, succurrisse puerum Daniele, qui judicium repeti jussit, et innocentem feminam a morte tutatus est, reos vere perdidit? Sergium papam de infamia stupri periclitantem infans in cunis ab injuria vindicavit et innocentem pronuntiavit. Taceo alia plurima. Quid igitur est, quod solus hic innocentissimus agnus nullum omnino habet, qui innocentiam ejus tueatur?

Nimirum erratum est hic et quidem turpissime ab universo mundo, dum innocentem pro reo habuit et propra nimis animadversione condemnavit. Quis non indignetur ob tale facinus? Habet hoc innocentia ex natura sua, ut nihil adversi metuat, sed securitatem et impunitatem sibi polliceatur etiamsi fractus illabatur orbis, quia cur metuat, non habet, idcirco parata est et in vincula et in carceres ire cum innocente Petro, alligari cum Paulo. Hodie tamen ut video, impunitatis privilegium illi ademptum est, dum omnium innocentissimus periit. Maximum errorem contigisse Romæ scribit Majolus, I. canic. coll. IV. circa annum Domini 1571. duobus ejusdem nominis in eodem carcere existentibus uno quidem reo, altero vero innocente, cum sententia in reum a iudicibus lata esset, lictores adeuntes carcerem ducturi hominem ad supplicium evocabant egredique jubebant. Tum innocens se vocari existimans, nihilque sibi metuens mox egressus tamquam iudici adfuturus: reus interim velut male sibi conscius et feralem periodum subodoratus, remansit in carcere. Mox igitur egresso innocenti lictores injecerunt laqueum raptumque ad supplicium occiderunt. Nec apparuit error, donec de alterius iudicio ageretur. Sane hoc ipsum Christo videtur accidisse. Tenebamur enim nos peccatores omnes in hoc mundi carcere detenti et propter scelera nostra alter post alterum ad necem et gehennæ supplicium educendi, utpote in quos jam dudum a Deo mortis et quidem æternæ sententia lata fuerat; sed ecce tibi innocentem unicum, qui instar Josephi illius innocens in hunc lacum missus erat ac proinde sibi nihil metuere poterat, audiens nos reos ad supplicium vocari, quia idem nobiscum nomen, eandemque sortitus est naturam et Filius hominis dictus, quasi ipse solus filius hominis, ac proinde reus esset, ad vocem evocantis (sciens tamen et volens) egressus est in hortum Gethsemani, ibidem licitoribus se vocantibus obvians, mox laqueis injectis ad supplicium raptatus, nobis interim salvus remanentibus: nec apparuit hic error, nisi mortuo demum Christo. Tunc enim primum exclamat centurio: *Vere hic homo justus erat*. Et

turba spectatorum percutiebat pectora sua revertens, Luc. XXIII. Quomodo igitur nos jam, cum erratum esse in Christo agnosimus et nobis fuisse debitum supplicium, quod ipsi irrogatum est, non dolemus? Non indignamur? Innocenti non compatimur?

Tertio, maximus omnium nostrum benefactor et pater patriæ, qui ut S. Petrus, Act. X. ait: *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo*. Nimirum solis instar, primo semper quæsit quibus beneficeret: hinc enim raro legitur sedisse vel stetisse, sed solis instar horizontem Judææ semper percurrisse, nunc ab Jerusalem in Galilæam, nunc in Samariam, nunc ad fines Tyri et Sidonis. Nunc terras perambulabat, nunc maria transibat, nunc solitudines lustrabat, nunc oppida visebat: ubique benefaciendo et beneficentiæ suæ innumera vestigia relinquendo. Secundo, ut sol quacumque tendit, loca illa illuminat, calefacit, recreat, vestit arva floribus, arbores fructibus fecundat, vivificat: ita Christus mundo omnis generis beneficia impertivit prædicando, sanando, mortuos vivificando, obsessos liberando, esurientes pascendo, peccatores absolvendo, recipiendo afflictos, mæstos consolando, etc. Tertio, ut sol omnes illuminat et fovet: ita omnibus benefecit Christus. Quicumque enim et quocumque ei afferebantur vel appropinquabant, ab ipso relevabantur, adeo ut S. Birgitta in revelationibus scribat neminem unquam ab eo recessisse, qui non magna cum consolatione discesserit. Denique hæc omnia pertranseundo, id est, gratis fecit; quia cum nullibi sedem suam figeret nec patriam suam hic quæreret, nihil mercedis a quoquam petiit, sicut sol etiam quidquid efficit boni, gratis efficit. Maximas profecto affert nobis utilitates cœlestes illud jubat, ut quodammodo communis quidam parens omnium viventium appellari posset, ideoque S. Franciscus quoties solem oriri videbat, ad Dei laudem vehementer excitaretur, qui tam speciosum et salutare lumen hominibus quotidie impertiret. Quid enim esset hæc vita sine sole? Sed nihil est hic sol, si cum illo conferatur, qui ait: *Ego sum lux mundi*. Ille creatura, hic creator est corporum, hic animarum lux est: ille muscis communis, hic hominibus tantum est: ille temporalem, hic æternam affert lucem. Quod si igitur omnes creaturæ merito lugerent, si sol extingueretur: quanto magis nos Christiani, cum audimus solem animarum Christum in cruce extinctum esse? Propterea igitur patiente Domino sol obscuratus est ut intelligeremus tunc verum justitiæ solem occubuisse.

II. Pro quibus patitur? Primo pro terræ vermiculis, pro formicis et vilissimis creaturis. Dicit enim David magnus alioqui rex: *Substantia mea tamquam nihil ante te: verumtamen universa vanitas omnis homo vivens*, q. d. etiam illi, qui majores me sunt et quos cæteri omnes mirantur, et quibus omnes invident, mera vanitas sunt. Si pro angelis pateretur, esset sane cur aliquanto minus miraremur, quia inter creaturas omnium sunt nobilissimæ; sicut si rex aliquis pro aula et familia sua discrimini vitæ se exponeret: sed quod pro cocis, stabulariis ac mancipiis suis id faciat, admirationem maximam habet. Rursum si pro regis vita servanda et sanitate recuperanda occidendus esset aliquis illius famulus, cujus sanguine rex sanari deberet, crudele videretur hoc pharmacum vel ipsi regi, qui sanari vellet. Ita enim Constantino M. imperatori, cum a medicis suasum esset balneum e sanguine infantum, si a lepra curari vellet, idque coemptione et occisione infantum aliquamdiu usitatum, apparuit illi in somno S. Petrus, qui crudele hoc balneum dissuadens, pro eo baptismum suasit. Si igitur sævum et crudele visum est hoc lavacrum cum tamen ad conservationem capitis, videlicet imperatoris, membra reipublicæ vilissima adhiberentur, quid diceremus de illo, quo ad servandum aliquod mancipium filius Regis occideretur? Jam vero non regis, sed Dei Filius pro vilissimorum mancipiorum suorum conservatione, ne videlicet perirent, de pretioso sanguine suo balneum nobis paravit: *Princeps regum terræ*, inquit S. Joan. Apoc. I. *qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Quid enim sibi vult illa replicatio, *dilexit nos et lavit nos*? Nimirum princeps regum terræ, nos vilia sua mancipia. In hoc balneo lavamur, cum baptizamur, confirmamur, confitemur, communicamus. Et forte tunc de pretio illius nihil cogitamus, eoque multi sacrilege cum fictione et irrisione abutuntur.

Secundo, pro perditis et impiis, qui Davide testante, Psal. XIII. *Simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Quod si major saltem pars hominum, frugi fuisset et innocens, minus mirum foret, eorum amore capi et pati Filium Dei, sicut minus nos miramur, si principis alicujus filius adamet puellam de plebe natam, valde tamen formosam; quamvis etiam tunc parentes et propinqui reclamant. Scribit Hieronym. Zieglerus de viris illustribus Germaniæ Ernestum Bavaricæ ducem, anno 1436. de consilio procerum suorum præcipitari in Danubium et suffocari jussisse puellam formosissimam, Agnetem Bernaverin, Augustani tonsoris

filiam, eo quod filius Albertus eam deperiret et ducere uxorem vellet. (Ejus sepulcrum visitur Strubingæ in cœmeterio suburbano. Quod si nefas et indignum hominibus videtur, si quis magnæ familiæ posthabita nobilitate sua jungat sibi ignobilem: quid dicemus de Filio Dei, qui non attendita celsitudine sua, ad ima se depressit et extrema passus est propter animas hominum sibi desponsandas, cum tam præcelsæ neque ingenua nobilitate neque morum pulchritudine quidquam valerent, sed potius viles, deformes, peccatorum maculis turpatæ, atque adeo dæmonibus ipsis similes essent? In hujus rei figuram murmuravit Maria et Aaron contra Moysen, quod Æthiopissam duxisset, Num. XII. et sic intelligit D. Prosper. de prædicatione. p. II. cap. IX. Matrimonium enim illud significabat conjunctionem Christi cum anima peccatrice ut vult S. Bern. ser. XXXIX. in Cant.

Quoniam igitur culpa nostra tam inutiles facti sumus, quid fuit opus, Domine, ut tantis impensis nos reformares? Annon tu creator noster, figulus ille es, ad quem misisti Jeremiam prophetam tuum, c. XVIII. qui cum fecisset vas ex luto quod statim dissipatum fuit, conversus mox destruxit illud et fecit ex illo aliud vas sicut placuerat illi? Figulus tu noster es, et nos lutea vasa tua, qui mox a creatione, culpa nostra dissipati et inutiles facti sumus. Numquid igitur sicut figulus ille non poterat nobis facere; numquid non ad parietem omnes allidere et in cloacam inferni dejicere? Numquid non instar catulorum cæcorum et inutilium a nativitate nostra mox submergere? Ut quid tantis laboribus tam inutiles creaturas refingere voluisti?

Tertio, pro inimicis etiam et persecutoribus suis, qui partim eum oderant et ad mortem condemnabant ac crucifigebant, partim postea primum persecutori erant vel merita ejus conculcaturi. Hoc enim testantur verba illa: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*. Et hoc priora omnia superat, quod exemplo isto dicere possumus. David rex cætera mansuetissimus moriturus tamen noluit ut impunes essent illi, qui in ipsius personam graviter peccaverant, sed præcepit filio Salomoni ne pateretur eos innoxios, III. Reg. II. Poterat hoc optimo jure facere Christus iis, qui in ipsum redemptorem et redemptionis principium peccaverant. Dicite enim: Si qui multorum scelerum rei in carcere detenti et jam ad supplicium condemnati essent, filius vero principis eorum misertus pro illis apud patrem peroraret, eorum scelera excusaret et misericordiam eis postularet; interim vero reorum aliqui in advocatum illum

insurgerent, colaphis, opprobriis et irrisionibus vexarent: quam queso mentem futuram putatis tum filio principis peroranti, tum patri etiam illius? Quomodo posset filius tam ingratis nebulonibus veniam postulare? Vel pater impertire? Sed fecit hoc tamen Dei Filius, quod nemo hominum faceret. Dum enim ipse offert passionem suam et ut apostolus ad Hebr. V. ait: *Supplicationes cum clamore valido et lacrymis*; denique seipsum hostiam Deo Patri, pro nostra redemptione de æterno supplicio: interrim Judæi et gentiles, Scribæ et Pharisei, seniores et sacerdotes, ipsi insultare pendenti in cruce: opprobriis, risibus, sannis eum appetere perrexerunt. Quis pro istis oret? Certe Jeremias, cap. XVIII. in persona quidem Christi loquens ad Deum: *Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis*; subdit mox ex indignatione et affectu proprio; *Tu autem, Domine, scis omne consilium eorum adversum me in mortem: ne propitius iniquitati eorum et peccatum eorum a facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis*. Non tamen ita locutus est Christus: sed potius inter hæc omnia pro crucifixoribus etiam suis oravit et passionem suam obtulit. O ingratos igitur nos, si tantam Dei charitatem non agnoscimus!

III. Quare tanta patitur? Non propter sua sed propter nostra peccata, ut supra jam audivimus, quæ ipse in se suscepit. Sed cur hæc in se suscepit? Primo, ob meram bonitatem suam, quia enim natura bonus erat, ideoque summe optabat omnes bonos et beatos reddere, libenter et benevole passus est, nostra sibi imponi onera; omnia impingi scelera, sicut mancipio domestico omnia onera et crimina imponuntur; quasi neciret Christus quid secum ageretur uti Psalm. XXXIV. ait: *Congregata sunt super me flagella et ignoravi*. Ad hæc eadem ipsa peccata nostra passus est sibi imponi a Patre suo, Isa. LXIII. *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*. Cujus figura erat Abraham, quando immolaturus filium ligna holocausti de dorso asini transtulit in dorsum filii. Hinc in persona Filii, ait Psalmista, Psalm. LXVIII. *Quæ non rapui tunc exsolvebam; Deus tu scis insipientiam meam*. Nulla fuit in Christo insipientiam existimat. Quis ergo non obstupescat ob tantam Dei Filii in nos bonitatem? Ecce Filius Dei nostri causa factus est insipiens, et jumentum, quod aliena sibi onera patitur imponi. Unde dicere nobis potest, quod Paulus ad Corinthios, epist. II. cap. XII. *Factus sum insipiens, vos me coegistis*. Sed libenter

II. PARS HIMALIS.

patietur haberi talis, modo videat in nobis bonitatis suæ fructum. Non gravate accipiet Judæis esse scandalum, gentibus autem stultitiam, modo faciamus, ut ne frustra passus sit. At si nihilominus ad infernum properemus, tum primum deplorabit et fatebitur suam insipientiam sed pati sibi impingi aliena crimina, mundus insipientiam: sicut et mercenarius, si post labores plurimos merces ei negetur: uti per Isaiam, c. XLIX. queritur: *In vacuum laborat: sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi*.

Secundo, ob misericordiam suam; quia enim noverat ex consilio Sanctissimæ Trinitatis humanum genus ob peccata perpetuis ignibus adjudicatum esse, et optime penetrabat quid esset ignis inferni, quid privatio beatitudinis, quid æternitas: idcirco commiseratione tactus, iram Patris in se transtulit, ne in tam grave supplicium tam multi incideremus et ut Caiphas dixit: *Tota gens periret*. Hujus rei figuram cernimus in Jonatha filio Saulis, I. Reg. XX. qui cum audisset domi latam esse a patre suo mortis sententiam in Davidem, sibi imperatum ut illum adduceret ad occidendum, cepit pro illo loqui et se interponere, dicendo: *Quare morietur?* Sed ea propter iram patris, conceptam in Davidem, in se transtulit. Mox enim arripuit Saul lanceam ut percuteret eum ac transfigeret. Non dissimili cognovit Dei Filius justissimam et severissimam Patris sui iram imminens generi humano, imo latam ab eo sententiam æternæ damnationis. Quamobrem miseratus sortem nostram, defensionem nostri suscepit et causam nostram egit, imo ut mediator noster sese interposuit: interim vero iram Patris in se vertit, et dira mortis lancea ab ipso est confixus. O inexplicabilem misericordiam! En quam vere de illo dici potest, quod Moyses, Deut. XXXII. dixit: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans, expandit alas suas et assumpsit eum (Israelem) atque portavit in humeris suis!* Aquila ut notat ibi Lyranus, volans transferre pullos suos, portat eos in humeris et alis suis, quia non timet sibi desuper, sed de terra; ut si jaculo impetatur, ipsa configatur, pulli illæsi sint; (simili modo angelus in columna nubis posuit se inter Ægyptios et Israelem, figurans Christum qui positurus sese erat inter Deum et homines) quia igitur Christus non ut aquila ab infra, sed desuper tantum timuit nobis, Patris videlicet sagittam, ideo in cruce super nos expandit brachia sua ut ipse quidem a cœlesti jaculo configeretur, nos vero incolumes evaderemus. Et huc pertinent illa verba: *Super eos volitans*.